



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quid fecit Deus propter hominem, 21

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

ubi totum est. Non timeat anima, quæ amat; paveat, quæ non amat.

3. Anima amans fertur votis, trahitur desideriiis, dissimulat merita: majestati oculos claudit, aperit voluptati, ponens se in salutari, & fiducialiter agens in eo. Amore anima secedit, & excedit à corporeis sensibus: ut sese non sentiat, quæ Deum sentit. Hoc fit, cum mens, ineffabili Dei illecta dulcedine, quodammodo sese sibi furatur, immo rapitur atque elabitur à seipsa, ut Deo fruatur ad jucunditatem. Nihil tam jucundum, nisi esset tam modicum. Amor dat familiaritatem Dei, familiaritas ausum, ausus gustum, gustus, famem. Anima, quam tangit amor Dei, nihil aliud potest cogitare, nil desiderare; sed frequenter suspirat, dicens: Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus meus.

C A P V T X X I.

Quid fecerit Deus propter hominem.

I. **D**eus amore venit ad homines, venit in homines, factus est homo. Amore Deus invisibilis servis suis factus est similis. Amore vulneratus est propter delicta nostra. Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus, in vulneribus Salvatoris. Securus illic habito, patent mihi viscera per vulnera. Quicquid ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini mei: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quæ affluant. Per foramina corporis patent mihi
arcana

arcana cordis, patet magnum pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto.

2. Vulnera Iesu Christi plena sunt misericordia, plena pietate, plena dulcedine, & charitate. Foderunt manus ejus, & pedes ejus, & latus ejus lancea perforaverunt. Per has rimas licet mihi gustare, quam suavis est Dominus Deus meus, quoniam revera suavis & mitis, & multae misericordiae est omnibus eum invocantibus in veritate, omnibus inquirentibus, & maxime diligentibus. Copiosa redemptio data est nobis in vulneribus Iesu Christi Salvatoris nostri: magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiae, & perfectio virtutum.

C A P V T XXII.

*De recordatione vulnerum Iesu Christi
Domini nostri.*

1. **C**um me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cum me premit caro mea, recordatione vulnerum Domini mei, resurgo. Cum diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiae Domini mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Domini nostri Filii Dei extinguitur. In omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quam vulnera Christi. In illis dormio securus, & requiesco intrepidus.

2. Christus mortuus est pro nobis. Nihil
tam